

## Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 99

In nomine sancte et individue trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si locis divino cultui mancipatis aliquam ex nostra imperiali potestate misericordiam impendere studuerimus, id nostri regni stabilitatem nostreque anime salutem esse minime dubitamus. Quapropter omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus notum esse volumus, qualiter nos ob interventum ac petitionem Meginheri venerabilis abbatis atque dilecti ad altare domino nostro Iesu Christo sanctoque Wigberhto Herolfosfelde consecratum in superiori Ingelnheim vineam unam terminatam ab ecclesia sancti Wigberti usque ad rivum Runderbach et inde sic deorsum usque ad Ruthardesgazzun indeque ad Crumenstein et inde ad predictam ecclesiam per circuitum, in comitatu Emichonis comitis et in pago Nachgowe sitam fratribus ad prebendam ibidem deo sanctoque predicto Wigberto atque omnibus sanctis die noctuque servientibus nostra imperiali potestate et auctoritate in proprium dedimus atque tradidimus. Et ut hec nostra imperialis tradicio et auctoritas stabilis et inconvulsa omni permaneat evo, hanc paginam inde conscribi manuque propria, ut subtus videtur, corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Winitherius cancellarius vice Liutpoldi archicancellarii recognovit. Data II kal. augusti anno dominice incarnationis, MLI, indictione IIII, anno autem domini Henrici tertii regis, secundi imperatoris ordinacionis eius XXIII, regni vero XIII<sup>0</sup>; actum Nurnberg.